

nec particulas ultimi sacrificii, si jam exutus esset. Ita Bened. XIV, de Missæ sacrif., l. 3, cap. 17, n. 5. Eas igitur reverenter deponeret in tabernaculo, vel in corporali reservaret, in proximo sacrificio ante ablutionem sumendas. Si vero periculum irreverentiæ esset, quia non est tabernaculum ubi missa celebrata est nec alius sacerdos celebraturus, sacerdos etiam vestibus exutus particulas sumere posset et deberet (*Bened. XIV ibid.*, n. 6).

5^o Valde controvertitur an sacerdos non jejunos celebrare debeat aut possit, ne moribundus viatico careat. *Multi affirmant*, dicentes 1^o præceptum divinum communicandi in articulo mortis ecclesiastico jejunii præstare; 2^o Ecclesiam, quæ ægrotum a lege jejunii exemptum declaravit, sacerdotem in casu supposito illa lege obligatum velle non censi. 3^o Præceptum præmittendæ confessionis, quando sacerdos peccati mortalis reus est, in quibusdam casibus non obligare. *A pari*, ubi de præcepto jejunii agitur. *Alii tamen communius et probabilius negant*, et contendunt 1^o præceptum divinum communicandi in articulo mortis non obligare, quando Eucharistia non habetur; 2^o Ecclesiam formaliter exemptæ moribundum a lege jejunii, non vero sacerdotem; 3^o eum in statu peccati mortalis, non habita copia confessarii, absque confessione celebrare posse ad dandum viaticum, quia per contritionem perfectam supplet confessioni; sed jejunii defectum supplere non potest. Excipiunt casum quo ipse sacerdos non jejunos in periculo proximo constitueretur; omnes enim fatentur eum celebrare posse, ne sancto viatico privatus decedat, quia lex jejunii non obligat eum qui in periculo mortis constituitur.

De munditie corporis.

Quæ ad actus castitati oppositos spectant, in supplemento ad Tractatum de Matrimonio sufficienter exposuimus; nonnulla tamen ad munditiam corporis attinentia hic notanda sunt:

1^o Qui externam habet maculam delebilem, eam reverentiæ causa abstergere debet. Nulla vero est obligatio

abstinendi a communione propter maculam occultam aut publicam, sed indelebilem. *Ita omnes.*

2^o Sacerdos infectus lepra vel alia difformitate horrorem excitante, in secreto celebrare potest, sed non in publico, ut in Decretal., l. 3, tit. 7, cap. 4, expresse statuitur.

3^o Mulieres in ornatu sancto, modestiam redolente, pectore cooperto, ad sacram communionem accedere debent: si quæ valde indecentes se præsentarent, communicatio eis neganda esset, cum debitis tamen cautionibus ad præcavenda scandala.

4^o Nulla lege vetatur ne vir armatus ad sacram synaxim accedat, sed ex decentia et humilitatis causa, milites arma sua deponere solent, nisi ex professione religiosa ea deferant, ut olim equites S. Joannis Hierosolymitani.

5^o Sacerdos non celebrans et ad sacram communionem accessurus, superpelliceo et stola induendus est. Ita olim statuerat Concil. Bracarense III, can. 3; sic statuerunt etiam Rituale Romanum: *Sacerdotes vero cum stola communicent*, et Rituale nostrum. Certum est tamen ex omnium confesso, hanc circumstantiam esse duntaxat sub veniali, et nullum esse peccatum eam omittere, si rationabilis causa id fieri suadeat, ut major communicantium numerus.

CAPUT SEXTUM.

DE NECESSITATE EUCHARISTIE.

Quoniam sanctissimum illud sacramentum olim parvulis statim post Baptismum administrabatur, et in Ecclesia Orientali adhuc administratur, quidam arbitrati sunt Græci illud necessarium esse necessitate mediæ, sicut Baptismum: hoc antiquos Patres persuasum habuisse docent Calvinistæ, et in primis *Aubertin* et *Daillé*, quod evidenter falsum est; antiqui Patres enim Eucharistiam tribuebant parvulis tanquam utilem, non vero ut ad salutem necessariam, et ideo vetus ille usus abrogatus est sine

ulla reclamatione. Unde concil. Trid., sess. 21, cap. 4, docet « parvulos, usu rationis carentes, nulla obligari » necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem; » et can. 4, addit: « Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit. » Semper creditum est parvulos in Baptismo regenerari, ac proinde ante usum rationis decedentes, salvandos esse sine Eucharistia.

Constat igitur et de fide est Eucharistiam non esse necessariam necessitate mediæ ad salutem. Itaque nobis inquirendum est an sit necessaria, 1° ex præcepto divino; 2° ex præcepto ecclesiastico; 3° sub utraque specie; 4° frequenter.

ARTICULUS PRIMUS.

AN SACRA EUCHARISTIA SIT AD SALUTEM NECESSARIA EX PRÆCEPTO DIVINO.

Tria hic nobis occurrunt examinanda, nempe 1° an præceptum existat; 2° quinam eo teneantur; 3° quandonam obliget.

1° Certum est dari præceptum divinum sacram suscipiendi Eucharistiam, ut constat 1° ex verbis Christi, Joannis VI, 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et Luc. XXII, 19: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ verba veram exprimunt necessitatem, non mediæ, ut notavimus, sed præcepti. 2° Ex concil. Trid., sess. 13, cap. 2, dicente: *In illius (sacramenti) sumptione colere nos sui memoriam præcepit.* 3° Ex ratione: Christus divinum Eucharistiæ sacramentum per modum cibi et refectionis spiritualis instituit: noluit autem illud fore inutile: ergo illius usum præcepit. Ergo.

2° Eo præcepto omnes tenentur adulti usum rationis habentes; verba enim Christi, *Nisi manducaveritis, etc.*, generalia sunt et nullos excipiunt; immediate afficiunt fideles, et mediate ipsos infideles qui religionem Christia-

nam amplecti et ad sacram Eucharistiam se accingere tententur.

3° Illud præceptum obligat saltem in articulo vel in proximo mortis periculo; de natura est enim præcepti affirmativi ut saltem aliquando obliget: at, si præceptum divinum sacram suscipiendi Eucharistiam, non obligaret saltem in articulo vel in proximo mortis periculo, dicendum esset illud nunquam stricte obligaturum. Unde 1° concil. Nicæn. I, can. 12, statuit *antiquæ legis regulam servandam esse, ut si forte quis recedat ex corpore, necessario viæ suæ viatico non defraudetur.* 2° Semper sollicita est Ecclesia ut sanctum viaticum moribundis tribueretur, nisi tanto beneficio judicarentur indigni. 3° Sanctum istud sacramentum infirmo petenti et sufficienter disposito denegari non posset sine gravi fidelium scandalo. Ergo.

Obligat insuper pluries in vita, præcise quia per modum refectionis spiritualis fuit institutum: tempus autem a Christo non fuit assignatum, sed Ecclesia illud determinavit, ut *infra dicemus.*

Hinc mulieres prægnantes ante primum partum, vel si partus difficiles jam habuerunt, periculose navigaturi aut præliaturi, operationem periculosam experturi, etc., Eucharistiam suscipere debent, si moraliter possint.

Notanda circa viaticum.

1° Quamvis existat præceptum divinum sacram Eucharistiam in periculo mortis suscipiendi, non repugnat eam aliquando prohiberi, si nempe reverentia erga sanctissimum sacramentum id postulare videatur: nam præceptum divinum directioni Ecclesiæ committitur, et ubi decenter impleri nequit, non obligat.

2° Pueris doli capacibus, qui sufficientem habent notitiam tum divinæ Eucharistiæ ejusque effectuum, tum aliarum veritatum, quarum cognitio ad justificationem requiritur, dandum est viaticum in periculo mortis, etsi non habeant ætatem ad primam communionem requisitam: ita Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 7, cap. 12, n. 1; S. Li-

gorius, l. 6, n. 293, et Rituale nostrum. In dubio de capacitate pueri æstimamus, contra nonnullos, viaticum non esse concedendum; quia, juxta præsentem disciplinam, dari non debet certo incapacibus: ergo nec in dubio. Pueri autem qui, sacro viatico muniti, supersunt, non eximuntur ab obligatione catechesibus assistendi et primam communionem more solito faciendi.

3º Disputant theologi an qui heri vel hodie communionem accepit aut missam celebravit, et ante finem diei in grave periculum mortis incidit, sacrum viaticum suscipere possit aut debeat. Si heri communicatio suscepta fuerit, datur obligatio viaticum hodie suscipiendi; si hodie, res manet dubia. Probabilius videtur viaticum administrari posse, et strictum non existere præceptum illud dandi aut suscipiendi, quia communicatio eadem die accepta rationem viatici habere censetur. « In tanta opinionum varietate doctorum » que discrepantia, integrum erit parochi eam sententiam » amplecti quæ sibi magis arriserit, » inquit Bened. XIV, de Synodo diocæses., l. 7, cap. 11, n. 2.

4º Si in ægroto adsit periculum ejectionis hostiæ, propter vomitum, tussim, sputa quasi perpetua, non danda est Eucharistia ob reverentiam ei debitam; si periculum videatur dubium, danda est particula non consecrata, quam si rejiciat, a communione abstinendum est; si eam retineat administrari debet communicatio. S. Ligorius, l. 6, n. 292.

5º Si contingat ut ægrotus post sumptionem viatici evomat, et sacræ species appareant, reverenter erunt colligendæ, in vase mundo deponendæ, ad ecclesiam deferendæ ibique custodiendæ donec fuerint corruptæ, et tunc in piscinam sacram projicientur. Si vero non appareant, tota materia vomita erit stupis extergenda, comburenda et cineres in piscinam projiciendi.

6º Sacrum viaticum tempore noctis non deferretur, nisi urgeat necessitas et absit periculum profanationis, quo in casu moribundus sine sacramento non esset relinquendus.

7º Non desunt sacerdotes qui sanctum viaticum magnis peccatoribus facile denegant, sub prætextu quod illud non sit absolute necessarium; advertant præceptum divinum

tunc urgere, sub peccato mortali obligare, et seipsos stricte teneri tales moribundos pro posse suo ad Eucharistiam preparare. Statuitur quidem, in Rituali nostro, eos sacrum viaticum suscipere non posse, quin scandalum a se datum reparaverint. Verum illud sufficienter reparant peccata confitendo, et declarando coram testibus se de anteactis dolere, atque firmum habere propositum rectius in posterum vivendi, nisi aliqua specialis ipsis incumbat obligatio publica, v. g., restituendi, reconciliandi, concubinam ejiciendi, etc., cui prius satisfaciendum est.

Item qui per scripta publica contra fidem aut mores scandalum dedit vel famam alicujus injuste læsit, per scriptum, si possit, aut saltem per declarationem coram testibus malum, quantum fieri potest, reparare debet.

8º Sacrum viaticum deferri non potest ad meretricem pœnitentem, in domo publice meretricia adhuc exstantem: exigendum est ut prius exeat et in honesta domo collocetur, ob reverentiam sanctissimo Sacramento debitam.

9º A suscipiendo sacro viatico excusat impotentia physica et moralis, sive ex parte infirmi, sive ex parte ministri, sive ex parte circumstantiarum, v. g., ex impietate astantium, etc.

10º Qui non communicavit in periculo mortis, transacto periculo, supplere non tenetur, quia obligatio viatici est duntaxat pro periculo.

11º Qui post viaticum susceptum mortaliter peccavit, iterum communicare probabiliter non tenetur, quia hæc obligatio nullibi præscribitur, sed sufficit confessio. Sic plures cum S. Ligorio. Item qui sacrum viaticum sacrilege suscepisset, illud denuo suscipere non posset ante decem dies elapsos, et cæremoniæ externæ non iterarentur in nova susceptione; quia, cum indignitas sit occulta, prohibito Ecclesiæ valet pro foro externo. Verum decem diebus transactis et periculo remanente, moribundus convenienter dispositus, de novo, absque viatici cæremoniis, communicare deberet, quia per communionem sacrilegam reipsa non satisfecit.

12° Sancti viatici sicut Extremæ-Uctionis administratio ad solum pertinet pastorem : extraneus igitur sacerdos sive regularis, sive sæcularis, illud administrare non potest sine legitimi ægrotantis parochi licentia expresse data, excepto casu urgentis necessitatis, in quo licentia parochi aut ordinarii rationabiliter præsumitur.

13° Parochi hoc munus committere non possunt nisi sacerdoti approbato, ne ægrotus ministerio confessarii ante communionem indigeat.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN EUCHARISTIA EX PRÆCEPTO ECCLESIASTICO SIT NECESSARIA.

Per multa sæcula tam frequenter accedere solebant fideles ad sanctum Eucharistiæ sacramentum, ut præcepto divino abunde satisfacerent : cum vero adverterit Ecclesia eos, pietate decrescente, a sacro illo convivio vel omnino recedere, vel diutius abstinere, determinavit tempus quo ad illud accedere sub peccato mortali tenerentur. Hanc legem tulit primo in concilio Lateranensi IV, anno 1215, celebrato, can. 21, his verbis : « Omnis utriusque sexus » fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia » peccata sua..... confiteatur..... suscipiens reverenter » ad minus in pascha Eucharistiæ sacramentum : nisi » forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus participatione duxerit » abstinendum; alioquin vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, et moriens Christiana careat sepultura. » Eam renovavit in concilio Trid., sess. 13, can. 9 : « Si quis » negaverit omnes et singulos fideles utriusque sexus, » cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis » annis, saltem in paschate, ad communicandum, juxta » præceptum sanctæ matris Ecclesiæ; anathema sit. »

Observanda circa communionem paschalem.

1° Præceptum ecclesiasticum in præfatis concil. Lateran. et Trident. decretis contentum obligat sub peccato mortali,

ut omnes fatentur : imo, juxta fere omnes theologos, duplicem imponit obligationem, unam communicandi singulis annis, et alteram communicandi in paschate. Annus autem, pro communione annuali, incipit a prima die januarii juxta quosdam, ab ultima communione juxta alios, a quindena paschali ad aliam quindenam, secundum probabiliorum et communem sententiam.

Qui tamen per plures annos non communicavit, tenetur tantum communicare pro anno nuper elapso, deinde tenebitur pro anno mox incepturo, et sic deinceps.

2° Soli baptizati præcepto ecclesiastico communicandi subjiciuntur : patet ex canonibus citatis ubi dicitur, *utriusque sexus fidelis*; et ratio est, quia Ecclesia nullam habet auctoritatem in eos qui foris sunt. In hoc præceptum istud differt a præcepto divino ipsos infideles mediate obligante.

3° Anni discretionis ex variis circumstantiis prudenter judicandi sunt : non iidem communiter æstimantur pro confessione et pro communione. Unde pueri doli capaces ad annuam tenentur confessionem, non vero statim obligantur ad communionem; quia 1° communis usus Ecclesiæ obligationem hujus sacramenti sic interpretata est; 2° Eucharistia majoris est excellentiæ et non tantæ necessitatis : majorem igitur requirit præparationem, præsertim in pueris prima vice communicaturis, ut deinceps cum debita reverentia ad tantum sacramentum accedant.

4° S. Th., 3 part., q. 80, art. 9, ad 3^{um}, dicit quod, si puer usum rationis habere incipiant, et devotionem erga Eucharistiam concipere possint, sanctum illud sacramentum eis conferri possit; non dicit conferendum. Unde S. Liguorius et plures cum illo docent pueros in ea ætate celestem Eucharistiæ cibum a profano discernere scientes, ad sacram synaxim admitti posse, sed præcepto non teneri ante annum circiter novum vel decimum, et communionem eis non differendam regulariter ultra duodecimum. Caute igitur cavere debent parentes et parochi ne sua culpa pueri ætate jam provecti ad sacram communionem non sufficienter disponantur.

Notandum pueros alios aliis perspicaciores esse, ac proinde non omnes eadem ætate præcepto communionis subjectos: quidam in nono vel in decimo anno admitti debent; alii ante duodecimum vel etiam decimum quartum admitti nequeunt. Hæc prudens discretio sedula digna est sollicitudine pastoris, qui totus esse debet ut pueros etiam in teneris annis sana doctrina imbuat, moribus Christianis informet, ad primam communionem diligenter disponat, et perseverantiam eorum omni cura assecurare intendat.

In plerisque diocesisibus, ad præcavenda diversa incommoda, determinata est ætas ante quam non liceat pueros ad primam communionem admittere. Tunc ab illa regula recedere non debent parochi.

5º Omnes adulti baptizati memorato Ecclesiæ præcepto tenentur sub peccato mortali; neque ab illo eximuntur increduli et publici peccatores, quia per fidem et virtutes Christianas ad sacram communionem digne suscipiendam se disponere debent.

6º Non in quolibet anni tempore, sed in paschate, juxta concil. Lateran. et Trid. verba, implendum est communionis præceptum; et idcirco hæc communicatio dicitur paschalis. Nomine autem paschatis, vulgo intelligitur tempus a dominica Palmarum usque ad dominicam in albis inclusive. Sæpe, ex concessione episcopi, tempus illud anticipatur vel protrahitur, propter confessoriorum paucitatem, pastoris infirmitatem, aliasve rationes quæ judicio episcopi subjiciendæ sunt.

7º Præterea, unusquisque fidelis potest, ob rationabilem causam, ex judicio proprii sacerdotis id est episcopi, parochi vel alterius sacerdotis approbati, communionem paschalem ad aliud tempus differre, puta, ut convenientius sit dispositus: sed interea facere debet quod in se est ut requisitas dispositiones quamprimum habeat, et contra Ecclesiæ præceptum mortaliter peccaret si, culpa sua, tempore per confessarium statuto nondum esset paratus.

8º Qui in quindena paschali vel tempore a proprio sacerdote designato communionem omisit, ad eam semper tenetur, et eo magis peccat quo magis differt; quia tem-

pus paschale non fuit determinatum ad finiendum præceptum, sed ne ultra illius impletio differatur. Concilium enim Trid., canone citato, definit esse obligationem communicandi *singulis annis, saltem in paschate*: qui ergo culpabiliter vel inculpabiliter non communicavit in paschate, præcepto communionis annuæ adhuc tenetur usque ad pascha proxime sequens. Qui e contra communicavit ex devotione vel in viatico, sine intentione præcepto satisfaciendi, nihilominus satisfecit, quia sola communicatio præcipitur, non vero intentio.

9º Qui, quindena paschali jam inchoata, prævidet se in ultimis diebus a communionem impeditum fore, statim communicare debet, quia tempus obligationis instat: si vero tempus paschale nondum sit inchoatum, et prævideat se, eo durante, facultatem communicandi non habiturum, ad communionem anticipandam non tenetur, quia præceptum communionis non magis obligat ante tempus præfixum quam præceptum audiendi missam die dominica obstringit sabbato, si prævideatur impedimentum pro die dominica. Porro, ut supra diximus, tempus, pro communionem præscripta *singulis annis*, ex communiore doctorum sententia, computandum est a paschate ad sequens pascha.

10º Qui paulo ante tempus paschale communionem accepit, sive ex devotione, sive in viatico, sive ea intentione ut præcepto communionis paschalis per anticipationem satisfaceret, nihilominus, quindena paschali decurrente, communicare debet si possit; quia datur præceptum eo tempore communicandi, nisi legitimum adsit impedimentum. Unde Rituale Romanum, de communionem paschali, in fine, ait: « Ægrotis quoque parochialibus, etiamsi communionem extra præscriptos paschatis dies sumpserint, » in paschalibus diebus illam deferret ac ministrabit (parochus). » Idem habetur in Rituali nostro.

Parochus igitur qui prævidet sufficiens sibi defuturum tempus ut in quindena paschali communionem ad ægrotos parochiæ suæ deferat, licentiam eam differendi ab episcopo obtinere debet.

11° Per communionem sacrilegam præcepto communionis annuæ non satisfit, ut contra probabilistas declaravit Innocentius XI, anno 1679, sequentem damnando propositionem: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

12° Unusquisque communionem paschalem in ecclesia parochiæ suæ a proprio parochio, vel a sacerdote ab eo delegato suscipere debet, nisi, ex illius vel episcopi aut vicarii generalis licentia, privilegio aut consuetudine, in alia ecclesia communicare possit. Sic generaliter theologi in eo sensu canones concilii Lateran. et concilii Trid. intelligentes.

Consuetudine eximuntur 1° sacerdos in aliena ecclesia celebrans; si vero non celebraret, in sua parochia communicare teneretur; 2° peregrini et vagi, nullam parochiam habentes, vel ab illa ita absentes, ut ad eam commode redire nequeant; præcepto communionis paschalis satisfaciunt, communicando in ea parochia in qua hoc tempore inveniuntur; 3° qui bona fide sacram communionem extra propriam parochiam, absque licentia requisita, excepisset; ad novam non teneretur communionem; 4° famuli vel famulæ in monasteriis regularium degentes et continui commensales, quia ad familiam monachorum vel monialium pertinere censetur. Non item ii qui, licet monasterii famulati annexi, extra illud manent, nec continui sunt commensales, sed extra habitantes, cum extraneis vivunt, quia non sunt de familia. Hinc apud moniales sorores conversæ, novitiæ, postulantes, et famulæ intra claustra manentes, præcepto communionis paschalis satisfaciunt in monasterio: non vero aliæ puellæ extra claustra habitantes.

13° Ex consuetis episcoporum statutis, vel ex speciali licentia singulis domibus concessa, alumni seminariorum vel collegiorum, pueri et senes in hospitiiis manentes atque sorores charitatis eis servientes, juniores puellæ in scholis detentæ, in sacellis suis respectivis communionem paschalem recipere solent; item magistri et magistræ in his institutionibus commorantes, non vero famuli in eis servientes. Talis est consuetudo apud nos recepta.

14° Qui, sine licentia pastoris, extra propriam ecclesiam parochialem tempore paschali communicavit, præcepto non satisfecit, nisi forsitan bona fide sic egerit: iterum ergo in parochia sua communicare debet. Quidam excipiunt, nisi in ecclesia cathedrali suæ diœcesis communicaverit; sed probabilius nec in eo casu satisfecisset, nisi episcopus declarasset omnes diœcesanos præcepto communionis paschalis in cathedrali satisfacere posse, aut Eucharistiam suscepisset de manu ipsius Episcopi, qui est primus totius diœcesis pastor. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 300.

15° Licentia pastoris, id est parochi, episcopi aut vicarii generalis, pro communionem paschali extra parochiam faciendâ, potest esse expressa, vel rationabiliter præsumpta, quando ex adjunctis certo judicatur eum consentire aut consensurum esse. Ita S. Ligorius et plures apud ipsum; hæc sententia nobis videtur certa.

16° Ex consensu pastorum præsumpto et ex variis recentiorum Cenomanensium episcoporum decisionibus, non exigitur in hac diœcesi ut qui communionem paschalem omiserunt, se hoc anno in propria ecclesia sistant ad communicandum, ne talis obligatio eos a conversione removeat; sed tantum persuasione inducuntur, et finaliter eis permittitur ut pro hac vice in aliena ecclesia sacramentum suscipiant.

17° Nunc non exigitur schedula confessionis ut tribuatur communicatio tempore paschali, nec extraneis ad sacram mensam accedentibus denegatur; quia præsumitur eos licentiam a pastore suo obtinuisse, vel in parochia sua jam communicasse, aut ante finem paschatis communicaturos esse; nec, juxta Ritualis præscriptionem, describuntur nomina eorum qui præcepto non satisfaciunt, ut ad episcopum deferantur.

ARTICULUS TERTIUS.

AN COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE SIT NECESSARIA.

Certum est 1° eam esse necessariam respectu sacerdotis missam celebrantis, ut in secunda parte hujus Tractatus ostendemus.

Certum est 2^o eam jure divino permissam esse laicis; frequenter enim laici, per decem et tria priora Ecclesie sæcula, sacram Eucharistiam sub utraque specie suscipiebant, ut omnes fatentur, et Græci eam sic adhuc recipiunt: frequenter etiam illud sacramentum sub unica specie conferebatur, v. g., 1^o ægrotis, ut patet exemplo Serapionis supra memorati, et S. Ambrosii qui, referente S. Paulino, in Vita ejus, t. 2, Appendice, corpore Domini ab episcopo Vercellensi *accepto, ubi glutivit, emisit spiritum*; 2^o infantibus, qui sub sola specie vini communicari poterant, et nunc apud Græcos eo modo communicantur: « Sacerdos summum digitum indicem tinget sanguine » pretioso; mox imponet corpori, deinde digitum immittet » in os infantis, cui statim aqua bibenda præbebitur; » *Renaudot*, t. 1. 3^o Fideles qui, in primis sæculis, sacram Eucharistiam apud se reservatam singulatim sumebant, sub unica specie communicabant, et tamen integrum sacramentum suscipere credebant. 4^o In missis præsanctificatorum celebrans sub unica specie communicat. Ergo.

Usus communionem sub unica specie administrandi fidelibus paulatim invaluit, ob duplicem præsertim rationem: 1^o quia species panis facilius conservabatur quam species vini; 2^o quia in administratione illius sacramenti, sub specie panis, non tam frequentia occurrebant profanationis pericula quam sub specie vini. Insensibilis illa calicis desuetudo respectu laicorum nullam excitavit reclamationem: quia jam frequenter communio sub una specie accipiebatur, et omnibus persuasum erat utramque speciem ad validitatem sacramenti non esse necessariam.

Versus initium decimi quinti sæculi Jacobus Misnensis, cognominatus *Jacobel*, parochus in civitate Praga, suadente Petro Dresdensi, prædicavit usum calicis fidelibus esse jure divino necessarium. Joannes Huss hunc errorem adoptavit; Lutherus et Calvinus postea illum, in odium Ecclesie Romanæ, fortiter propugnaverunt; item Anglicani. Contra quos sit.

PROPOSITIO.

Nullum est præceptum divinum de sacra Eucharistia sub utraque specie sumenda.

Prob. Hæc propositio est de fide; probatur Scriptura sacra, traditione et ratione theologica.

1^o *Est de fide.* Definita enim fuit in concilio Const., sess. 13, contra Hussitas; et in concilio Trid., sess. 21, can. 1, contra Protestantes, his verbis: « Si quis dixerit, » ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debere; anathema sit. » Ergo 1^o.

2^o *Prob. Scriptura sacra.* Joan. VI, 52: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; et ꝯ. 59: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Unde sic: Christus eundem promittit effectum communioni sub una specie ac communioni sub utraque. Ergo. B. Paulus, I Cor. XI, 27: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit, etc.*, supponit, utendo particula disjunctiva *vel*, alterutram speciem seorsim accipi posse. Ergo 2^o.

3^o *Traditione*, nempe factis supra relatis, quibus constat communionem sub unica specie sæpe datam et sumptam fuisse, ut patet exemplo infirmorum, infantium, fidelium domibus suis communicantium, et sacerdotum cum præsanctificatis celebrantium. Ergo 3^o.

4^o *Ratione theologica.* De fide est totum et integrum Christum esse sub utraque specie: qui ergo unam suscipit speciem totum suscipit Christum, carnem ejus manducat; et, propter concomitantiam, sanguinem ejus bibit. Ergo præcepto carnem ejus manducandi et sanguinem ejus bibendi satisfacit, nisi ex Scriptura vel ex traditione ostendatur utramque speciem sumendam esse: porro neque ex Scriptura neque ex traditione ostendi potest utramque speciem sumendam esse, sed potius contrarium monstratur: ergo 4^o, etc. Aliunde, etc. Ergo.